



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**LEGVM PON||TIFICIARVM GRE-||gorij noni, seu
Decretalium pentateu-||chus**

Mesnart, Martin

Parisiis, 1555

xlvi. De ecclesiis edificandis, vel reparandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63486](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63486)

De purificatione post partum. Tit. 47.

Mulieres, si post prolem emissam acturæ gra- ^{i. Volens.}
tias ecclesiam intrare voluerint, nulla pro-
inde peccati mole grauantor. Si tamen ex ve-
neratione aliquandiu abstinere volent: deuotio
earum ne improbator.

*De ecclesiis adificandis, vel repa-
randis. Tit. 48.*

De ecclesiis adificandis.

Episcopo, quominus indigenti populo super ^{6. Tuanos}
basilicarum erectione & institutione prouideat, iuramentum de rebus ecclesiæ non alienã-
dis ab eo præstitum ne officito.

Itaque si quæ villa ab ecclesia parochiali adeo ^{3. Sed as-}
distabit, vt eius parochiani eam sine difficultate ^{dientia. i.}
adire nequeant, ipsaque ecclesia redditibus abũ-
dabit, vt præter villæ prouentus minister eius
commodissimè sustetari possiet: episcopus pa-
rochianis petentibus ibi ecclesiam ædificato.
Sacerdotem in ea ad præsentationem rectoris
ecclesiæ maioris cum canonico fundatoris ad-
sensu instituito. Is ipsius villæ obuentiones ec-
clesiasticas percipito. Matrìci tamẽ ecclesiæ ali-
quo in sacerdotis vsum adsignato competens in
ea honor pro loci facultate seruator. Eiusdem
matricis ecclesiæ persona virum idoneum præ-
sentare si differet, opusve impediet: episcopº ni-
hilominus idem opus ad perfectionem deduci

De eccle. ædif. vel rep.

facito. virum bonum instituito.

2. *Cum
dicat.*

Sed & ubicunque tot simul leprosi sub communi vita congregati erunt, vt ecclesiam cum cœmeterio sibi constituere, & proprio gaudere possent presbytero: hoc sine contradictione permittitor. At veteribus ecclesiis de iure parochiali iniurii ne sunt. Tantùm de hortis, & nutrimentis animalium suorum decumas dare coguntor.

De ecclesiis reparandis.

3. *Quicun-
que.*

QUICUNQUE ecclesiasticum beneficium habent, omnino ad tecta ecclesiæ restauranda, ipsasve ecclesias emendandas adiuuanto.

4. *De his.*

Qui ergo parochialeis ecclesias habent, ad reparationem & institutionem ecclesiarum, cum opus erit, de bonis ipsius ecclesiæ, si quæ ipsis supererunt, conferre coguntor. Sic eorum exemplo cæteri inuitantor.

5. *Ad au-
dientia. ij.*

Quòd si quis in ecclesia seculari regularis canonicos ordinare volet: hoc de consensu diocesani episcopi facito. Clericis tamen secularibus, si qui in ea supererunt, dum vixerint, ibi, alibiue necessaria prouidentor. Quamdiu autem necdum canonici in ea erunt, ollis, cum nulli sint, eorumve ecclesiæ priuilegium ne petitor, néve conceditor.

De immunitate